Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum XXXVIIII

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

mem tuis monitionibus et beneplacitis sine tedio acquiescere et me sine negligentia emendare. Ut tandem in adventu claritatis tue ad iudicium te benedictum ad plenam mee redemptionem hoc est perfectionem corporis et anime libertatem manifeste venientem letus aspiciam et cum electis tuis te sine fine benedicam.

De signis adventus domini et consummationis seculi. lxxvi capitulum

ET cum dominus illic eadem feria tertia egressus esset de templo ipso egressu designans quod dimitteret scilicet domum iudeorum deserendam id est civitatem et templum discipuli admirantes scilicet templi tante pulchritudinis et fortitudinis destrueretur et ad nichilum redigeretur ostenderunt ei edificationes templi non ignotas sed tamquam admirandas ut ipse nobilitatem et magnificentiam edificiorum que ad divinum cultum facta erant flecteretur ad misericordiam et mitigaret penam comminatam videbatur eis etiam quod nec capi nec everti posset vel diruine. Non respiciebant ad templi sanctitatem sed ad edificiorum preciositatem et fortitudinem. Sic hodie multi attendunt plus ad cultum ecclesie corporalem quam spiritualem unde bernardus: Gemmis altaria fulgent et ministrorum dei nulla electio est. Ex contrario fuit in primitiva ecclesia quia maior vis fiebat in ornatu spirituali quam in materiali unde augustinus: Olim erant parietes ecclesie viles et viri preciosi modo econverso.

¶ Et respondens ihesus dixit non solum hec destruenda fore sed et quod in eis non relinqueretur lapis super lapidem qui non destrueretur et commineretur quantumcumque preciosa et fortia viderentur. Hoc autem factum est a romanis xl° anno post passionem domini. Similiter erit de magnis et sumptuosis palatiis quia non relinquetur lapis super lapidem in eis. Secundum bedam. Divinitus procuratum est et provisum ut patefacta evangelica gratia per orbem templum ipsum cum suis cerimoniis tolleretur ne quis adhuc parvulus et infirmus in fide si videret illa permanere que a deo sunt instituta a sinceritate fidei ad iudaismum labaretur. Aufertur ergo umbra et palmam tenet veritas per orbem declarata. Omnis enim compositio mandatorum sic est destructa ut iudei nichil impleant et capite sublato membra inter se pugnent. Unde Crisostomus: Illa ierusalem figuralis typum gerit ierusalem spiritualis id est ecclesie. Nam nisi templum illud destructum fuisset observantia legis non facile fuerat conpescenda. Ideo autem destructum est ut si velint iudei postmodum legem servare non possint aut de pascha aut de sacrificiis aut de ceteris solemnitatibus. Ceciderunt temporalia et figuralia ut surgerent spiritualia et vera mysteria. hec Crisostomus.

¶ Et vadens dominus ipsa die cum discipulis in montem oliveti et sedens ibi contra templum in loco ubi postea est constructa ecclesia interrogatur ab eis de tempore destructionis ierusalem et templi et de signo adventus sui et consummationis seculi que putabant statim sequi destructionem civitatis et templi. Iste questiones fuerunt sibi facte in monte oliveti et hoc rationabiliter quia ex illo loco templum et civitas clarissime videntur et occasione huius de destructione ibi queritur. Similiter et iudicium extremum futurum est circa illum locum ideo convenienter fit ibi questio de futuro iudicio. Et respondens ihesus dixit eis signa predictorum et eos circa quibus in utrisque cautelibus instruxit nec dicebat quando eos fore non expediebat. De signis docet de tempore intimandum non putat quia incertitudo temporis inducit terrorem et ita separatio signorum ignorantia signorum posset inducere in errorem. Et quamvis plura ex his signis possint referri simul ad eversionem urbis et templi et ad christi adventum et consummationem seculi

Secundum enim Criſo. dominus non ſeparat que
ſigna pertineant ad hoc uel ad illud ponit
ut eadem videantur ad utrumque pertinere quia
tamen everſionem urbis et templi iam completam
et preteritam cognoſcimus ideo ad inſtructionem
noſtram omnia ad ea que reſtant referamus que
poſſunt omnia de adventu xpi et conſumacione
ſeculi intelligi et per apostolos omnium creden-
cium perſone ſignari nam dixit hec diſcipulis
non tamquam eis qui durare deberent in vi-
ta iſta uſque ad finem mundi ſed in perſonis eo-
rum dixit hec omnibus poſteris eorum cre-
dituris quaſi unum corpus exiſtentibus cum ipsis
¶ Sed antequam eis ad interrogata reſponde-
at mentem eorum ut non ſeducantur confirmat
unde Criſo. Neque de iheruſalem deſtructione nec de
ſuo adventum ſtatim reſpondit ſed de malis
quibus ſtatim obviandum erat. Premunit
ergo dominus fideles ne ſeducantur i. ſeorſum a
veritate fidei ducantur. Multi enim pſeudo xpi
et pſeudo prophete i. ſimulati et falſi venient aſ-
ſcribentes ſibi nomen xpi ex preſumpcione et
dicentes ſe xpm eſſe et ſeducent multos per
falſam doctrinam per ſimulatam vitam per ſig-
na mirabilia ut dicit athanaſius in una quaque here-
ſi dyabolus figuratus dicit. ego ſum xpc
et apud me eſt veritas. Multi etiam videntur
hoc dicere fratres qui ſua ſtatuta diſtrictius
faciunt obſervari quam precepta dei volentes ma-
gis ſibi quam deo obediri. Sed non eſt venturus
xpc niſi precedant ſigna ab eo predicta. Et
ideo nobis dominus pronunciat ut nos ab amore mun-
di compeſcat et timorem nobis incuciat ac
ſemper vigilantes et paratos nos inveniat
quia minus iacula feriunt que ante previſa
ſunt ¶ Et premittit dominus primo in generali ſig-
na priora ſcilicet prelia quantum ad hoſtes extraneos
et ſediciones quantum ad domeſticos. Deinde ſub-
iungit in ſpeciali eorum multitudinem tangens
mala ſeptem que ſunt inicia dolorum

quia ſurget gens contra gentem diſcordia
principum quia regnum adverſus regnum
commocio locorum quia terre motus in-
fectiones morborum quia peſtilencie de-
fectus victualium quia fames terror celeſti-
um impreſſionum quia terrores de celo no-
vitas eventuum mundanorum quia ſigna
magna erunt. Per hec autem ſeptem que hic
tanguntur poſſunt intelligi ſeptem mala que
hodie eccleſia dei patitur quorum primum eſt
diſcordie eccleſiarum ſecundum impugnacio heretico-
rum tercium turbaciones ſecularium quartum
exempla malorum quintum defectus doctorum
ſextum fulminaciones ſentenciarum ſeptimum
monſtruoſitas ordinacionum eccleſiarum. Multa
ergo mala precedent ita ut impleatur quod dicitur
pugnabit pro eo orbis terrarum contra in-
ſenſatos ut que contra auctorem omnium
peccatores pugnaverunt iuſto tunc dei iudicio
ab omnibus oppugnentur et qui in cunctis de-
liquerunt in cunctis feriantur ¶ Oportet
et conveniens eſt primum hec fieri tamquam a deo or-
dinata malicia exigente hominum et deo bonum
inde eliciente ſcilicet ad probacionem et utilitatem
bonorum et ad deſtructionem et perdicionem malorum
quia hec omnia iniqua et quaſi proemia ſunt dolorum
futurorum ſed non dum ſtatim eſt finis et
conſumacio eorum quia iſta ſunt ſigna re-
mota non propinqua vel quia iſta ſunt tem-
poralia ſed conſumacio dolorum erit eterna
Magnitudo enim malorum indicium quale
precedencium eſt figura incomparabilium gra-
viorum nam ut dicit gregorius per crebra ma-
la que preveniunt indicantur mala perpetua
que ſequuntur quia multa debent mala pre-
currere ut malum valeant ſine fine nun-
ciare. Et puta alii ſecundum ambro. ſunt et alia
bella que xpianus ſentit xpianus ſcilicet diverſarum
plura cupiditatum ſtudiorum conflictus multo
etiam graviores ſunt hoſtes domeſtici quam ex-

tranei. Et secundum sensum spiritualem In ecclesia pesti-
lencie carnalium viciorum fames verbi
divini terre motus tribulacionum quia ec-
clesia multum in fine temptabitur. Deinde
subdit quo merito hec omnia contingent quia
ante hec omnia scilicet predicta erunt persecuciones
sanctorum quibus inicientur manus ad ca-
piendum quique tradentur ad tribulaciones
et mortem eciam a propinquis et amicis et erunt
odio omnibus hominibus id est omnibus humanum et
terram seu humana non divina sapientibus
amicicia enim dei inimicicia est mundi et in tali
odio erunt propter nomen Christi ac confessionem huius
nominis et assercionem veritatis quod quidem iocundum
et gloriosum est sanctis quia felix esse iniuria
cum deus est in causa quia ad hanc sequitur
magnum premium et gloria immensa. Eum ca-
am post dicta que predicuntur de afflictione
mortis protinus consolantur de gaudio re-
surrectionis quia eciam capillus minimus
de capite eorum non peribit et ideo multo
magis cetera maiora non peribunt et hoc
addit ad declarandum veritatem future resur-
rectionis nam quicquid sive ad substanciam sive ad decorem
corporis spectat in resurrectione redibit //
Secundum sensum spiritualem Capillus de ca-
pite dicitur non perire quia nec minima
mentis cogitacio bona manebit irremu-
nerata unde beda Non solum ossa nostra
id est fortia gesta vel dicta remunerabuntur
sed eciam capilli id est minutissime cogitaciones
bone que de corde quasi capillus de cerebro ex-
eunt apud iustum iudicem digna mercede
donabuntur Unde propheta Reliquie cogita-
cionum diem festum agent tibi Similiter nec
cogitaciones male remanebunt impunite
Et quia gravia sunt que sancti in persecu-
cionibus pati habebunt ideo eos ad tolle-
ranciam confortatur in predictis enim maxime
necessaria est paciencia quia in paciencia

possidebunt id est custodiunt animas suas
Custos enim omnium virtutum paciencia est in qua
animas que corpus possident possidemus
cum ipsas animas ad paciendum racione cogimus
Qui autem impaciens est animam suam non possidet
quia cum sui furorem et iram cohibere non potest
Unde beda Hic enim condicio mirabilis sumus
ut racio animam et anima possideat corpus Ius
vero anime a corporis possessione impeditur si non
prius anima a racione possideatur Custodem
igitur condicionis nostre pacienciam dominus esse
monstravit quia in ipsa nos possidere nos
metipsos docuit hec beda Magna igitur est
virtus paciencie sine qua anima perditur
et per quam possidetur Qui enim paciencer
suffert temptatorem accipiet coronam sed qui per-
dit pacienciam perdit et coronam unde greg-
orius commendans dicit Ego virtutem paciencie
signis et miraculis esse maiorem puto Et
salomon Melior est paciens viro forti et
qui dominatur animo suo expugnatore ur-
bium Unde et seneca Tormenta pacienter fer-
re optabile est hoc enim fortitudinis pars est
Non enim pati tormenta optabile est sed pati
fortiter quod est virtus Cum aliquis tormenta
fortiter patitur omnibus virtutibus utitur for-
tasse cum una in promptu sit et maxime appareat
paciencia illic est dividimus connotatus vir-
tutum Quod honeste fit una virtus facit sed
ex consilii sententia hec seneca Quia vero tot ter-
roribus auditis sancti turbari poterunt ti-
mentes quid tunc respondeant consolatorem suppo-
de dando eis in premeditatis os et sapienciam
ac dicendi et respondendi materiam quibus
nullus poterit resistere vel contradicere quia
non ex ingenio vel arte eorum prodeunt ver-
ba sed ex spiritus sancti gracia Tunc multi scan-
dalizabuntur id est descendent a fide et ruent in
errores timore vel in maiestate tormentorum
aut portentis seu muneribus seductorum

et quoniam habundabit iniquitas et malicia in falsis xpianis ideo refrigescet et deficiet caritas i. vera dilectio erga deum et proximum in multis aliis ab igne diuini amoris licet totaliter non cadit in eis. Ex habundancia enim iniquitatis oritur tepiditas caritatis propter tribulacione que calere uidebatur ante tribulacionem in pace. Demque ut ait ambro. tunc iustus in deserto iniquus in regno uel in eisdem in quibus habundat iniquitas suscipit refrigescit caritas nam ut ait remigius. Quanto magis ab uno quoque iniquitas suscipitur tanto amplius in corde ipsius ardor caritatis extinguitur. Qui autem perseuerauerit in veritatis in amore bonitatis usque in finem et terminum vite presentis quotiensque tempore incipiat et quantumcunque incipiat hic saluus erit quia non cepisse sed persistere virtutis est et non inchoacio toleranciae sed perseuerancia coronat. De hac materia persecucionum habes latius supra post missionem apostolorum. Et hec predicta more insolito et multo violentius tunc fient quam euenere ita ut pro signis habeantur. Et predicabitur hoc ewangelium regni in vniuerso mundo. Predicatio noui testamenti dicitur ewangelium regni racione sue dignitatis uel finaliter quia ad regnum ducunt quod lex non faciebat uel talis quia reges facit uel materialiter quia de regno describit et hoc in testimonium omnibus gentibus i. ut testimonium xpi fiat in omni gente uel in testimonium omnibus gentibus i. in accusacionem hiis qui non crediderunt qui enim crediderunt testabuntur aduersus eos qui non crediderunt et eos condempnabunt et tunc ueniet consummacio cum ad fines orbis terre sermo pietatis peruenerit ne aliquis excusare se possit. Secundum aug. predicacio ewangelii in toto mundo quamuis fuit completa quo ad omnes mundi partes non tamen quo ad omnes homines in omnibus partibus mundi existentes vnde in omnem terram sed non in omnes homines terre

exiuit sonus eorum nisi forsan per eos in generali relatum aliorum et quod nondum in omnibus fuerat completum expectatur complendum. Unde et sequitur. Signum domini aduentus est in toto orbe ewangelium predicari ut nullus sit excusabilis quod aut iam uidetur completum aut in breui credo esse complendum. Non enim puto aliquam remansisse gentem que xpi non nouerit et si quis non habuit predicatorem tamen ex vicinis nacionibus opinionem fidei non potest ignorare hec Cris. De predictis signis sic dicit Criso. Est quippe res ista prorsus ambigua et ideo nescimus an circa nostram etatem hec omnia finiantur et dies ille metuendus adueniat atque horribile illud nobis ostendatur tribunal. Nam et signa multa prorsus impleta sunt et ewangelium toto iam fere orbe personat et prelia et terrarum tremores et fames ut predictum fuerat acciderunt nec grande iam medium est. Que omnia considerantes ad eam nos qua hic abscessuri sumus profectionem paremus. Nam licet omnis illius finis nondum insistet dies peculiaris tamen iste vniuscuiusque nostrum finis in proximo est. Et si enim senex sit aliquis et si adolescens morti tamen in qualibet etate vicinus est. hec Criso.

Causa uero et radix omnium malorum in mundo est superbia et presumpcio. Populus enim contra regem erigitur clerus contra sacerdotem monachus contra abbatem filii contra parentes iuuenes contra seniores superbiendo diuersa senciunt. Malum ergo superbie quod superna angelorum curiam corrumpendo destruxerant presens quoque seculum inordinate peruertendo destruet unde petrus dammianus audax de fuga mundi congratulando sic scribit. Magnas deo debes gracias qui te hoc tempore de mundo elegit quo in eo difficile quis saluatur. Iam sterile aratrum per litus ducitur arenosum iam illud propheticum uidetur impletum. Non est ueritas non est misericordia non est sciencia dei in terra. Maledictum et mendacium et homi-